

poris, Græci etiam Theologi imitati sunt, dicentes
ἑὶς πρόσωπα: id quod apud Gregorium Na-
 zianzenum multis locis videre est.

89. Intelligit autem tam Latina quàm Gre-
 ca Ecclesia, hypostases sive Personæ termino,
 non tantummodò *σχέσις* aut officium, uti Sa-
 belliani somniarunt: non etiam larvam aliquam,
 per quam histrio in Scenis loquitur: sicut Serve-
 tus contendit: non denique conditionem sive qua-
 litatem, qua DEVS negatur esse *πρωσωπο-
 λήτης*, uti quidam hæretici blasphemarunt.

90. Sed per *ὑπόστασις* sive personam intelli-
 git Ecclesia differentias illas producentium &
 productorum in vna Divinitatis essentia; qua-
 rum differentiarum respectu, neque una perso-
 na in divinitate de altera prædicatur: neque
 una alteri inest, vel eo modo, quo accidens sub-
 iecto, vel quo toti inest pars aliqua ipsum con-
 stituens: Sed quælibet harum, propria sua ra-
 tione ac definitione in Divinitatis essentia, se-
 ipsâ subsistit planè *ἀκωινωνήτως* incommunica-
 biliter: ita ut ingenitum gignens ab æterno, con-
 stituat personam Patris: genitum ab æterno,
 notet personam sive hypostasin Filij: Procedens
 ab æterno à Patre & Filio, designet personam
 Spiritus sancti.

91. Vnde vulgò Personam, Græcis *ὑπόστασις*,
πρωσωπον, ὑφιστάμενον dictam, definiunt,
 quod sit substantia individua, intelligens,